

manifestum, & infra in Antithesi aliquatenus demonstrabitur.

54. Convellunt autem tria isthæc vitia usum libertatis Christianæ, ex parte ἑλλήψεως sive defectus, dum nimirum, in usu rerum adiaphotarum & indifferentium Libertatis Christianæ jus ac privilegium minùs observatur, quàm fieri oportebat.

55. Testatur verò tùm superiorum, tùm nostri etiam seculi historia, imò universalis experientia, peccari etiam, & quidem sæpissimè ex parte ὑπερβολῆς sive in excessu, circa usum libertatis Christianæ, quando nimirum repagulis & finibus ejus disruptis, nimia licentia in usu rerum mediarum permittitur, quæ Charitatem Christianam haud leviter violat.

56. Id quod fit vel temeritate inconsiderata, quando usus rerum indifferentium conjunctus est vel cum scandalo infirmiorum: ut cum Corinthij vescerentur idolothytis nullâ habitâ ratione infirmorum fratrum: vel cum proprio periculo, ut cum quis Idololatricarum rerum usu in Papatu constitutus non abstinet. 1.

57. Vel nimio rigore & profanitate in adversandis & respuendis vel omnibus consuetis in Ecclesia, vel certè plerisque ceremoniis. 2.

58. Quo modo peccat hodie gens Sacramentaria, cui uti cum omni disciplinâ Ecclesiasticâ

ἄσπρον-